



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Agenda Dioecesis Paderbornensis Rituali Romano accommodata**

**Hermann Werner <Paderborn, Bischof>**

**Paderbornæ, 1753**

De Communione Paschali.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36023**

abluat, & abstergat purificatorio; abluitionem verò sumat, si celebraverit, aut iis, qui tunc communicarunt, sumendam tradat, aut saltem in Sacrarium injiciat. Postea genua flectens data prius benedictione reponit Sacramentum in Tabernaculo, & obserat.

## De communione Paschali.

Curet sedulo Parochus, ut in quadragesima per se vel per alios concionatores populo opportunè denunciatur, constitutio Concilii Lateranensis sub Innocentio III. quæ sic habet.

Omnia, utriusque sexus, fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel, in anno, proprio Sacerdoti, & injunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter, ad minus in Pascha, Eucharistiæ Sacramentum, nisi fortè de Concilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinentium: alioquin & vivus ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens christiana careat sepultura.

Ut igitur hoc salutare Concilii decretum servetur, descripra Parochus habeat nomina suorum parochianorum, & qui dicto tempore non communicaverint, & post octavam paschæ eos, qui propriæ salutis immemores, sæpius admoniti, non obtemperaverint, Ordinario suo denuntiet.

Facilior modus deprehendendi eos, qui tempore paschali non communicaverunt in sua parochia, erit iste. Curet parochus imprimi nomen Patroni Ecclesiæ suæ in parva scedula cum anno corrente toties quoties opus erit, v. g. si Patronus sit S. Joseph erit scedula. S. Joseph. Anno 1687. vel alius anni currentis numerus. Talis scedula detur cuivis communicanti; post Dominicam in albis colligantur illæ scedulæ, & qui in familia non poterunt dare scedulas, censentur non communicasse, nisi alias factam communionem probaverint.

Dabit quoque operam Parochus, quoad ejus fieri potest, ut in ipso die sanctissimo Paschæ communicent, quo die ipse per se, nisi legitime impediatur, parochiæ suæ fidelibus hoc Sacramentum ministrabit. Alienæ verò parochiæ fideles ad proprium Parochum remittet, præter peregrinos, & advenas, & qui certum domicilium non habent: Quibus ipse Sacramentum Communionem præbebit, si parati illum accesserint; In cæteris verò servabit ea, quæ in libro de statu animarum præscribuntur.

Ægrotis verò parochianis, etiamsi communionem extra præscriptos paschales dies sumperint, in paschalibus diebus illam deferet, & ministrabit.

## De communione infirmorum extrema unctione, &amp;c. V. infra.

## De Sponsalibus.

Prius inter Sponsam & Sponsam conveniat, & utriusque partis consanguineos & amicos, & quando de omnibus jam conventum fuerit, adsit Parochus, eique aliquis proximorum ad id constitutus utriusque partis voluntatem declarabit.

Quærat deinde Parochus à circumstantibus, an sciant vel saltem suspiciantur inter Sponsam & Sponsam esse cognationem, vel affinitatem. Vel impedimentum cognationis Spiritualis ex baptismi vel Confirmationis Sacramento, quæ omnia sicut & cætera impedimenta canonica matrimonii contrahendi, & quæ contractum dirimant, Parochi est, ut ex probatis authoribus cognoscat, & si quod tale deprehenderit, eos dehortetur, vel ad superiorem remittat, & nullatenus sinat sine præcepto & dispensatione ejus, qui poterit, copulari.

Quærat deinde, à quovis contrahentium sub interminatione divini Judicii singillatim.

1. An libere velit cum N. suo Sponso vel Sponsa contrahere.
2. An alteri Matrimonium promiserit.
3. An Deo fecerit votum castitatis &c.

Deinde dantur arrhæ Pastori, quas benedicit, dicens.

✠. Adjutorium nostrum in nomine domini,